



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. VII. Deus vult unam creaturam esse propter aliam, vel, quia vult
aliam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

181.
*Hic non est
talis trans-
itus.
Felix.*

Non verò est transitus (prosequitur Felix sup.) quando Deus in priori est indifferens ab aeterno ad volendum creaturas liberè, & postea, ut ita dicam, illas liberè vult, ut immeritò aliqui Scotistæ existimant, qui, ut hoc evitent, dicunt, in sententia Scoti possibile diligere à Deo necessariò; nam etiam esset transitus à contradictorio in contradictorium, si necessariò illas diligeret; nam esset à non diligere, ad diligere; sed neque in uno, neque in alio casu est talis transitus; nam non diligere, est præcisio actûs, & non est exercitium libertatis per omissionem. Hæc ille.

182.
*An detur
pura omis-
sio libera.*

Tu cogita, an non detur pura omisio libera. Et si sic, pater, quòd per omissionem sit exercitium libertatis. Hoc tamen non habet locum in nostro casu, in quo non est omisio actûs; sed tantum præcisio, ut dictum est. Imò putant Multi, non dari puram omissionem liberam; adeòque numquam per omissionem, secluso omni actu positivo, fore exercitium libertatis, de qua doctrina hîc non est locus disputandi; & parum refert ad præsentem difficultatem, an hoc, vel illud dixeris.

183.
*Probatur,
Deum non
posse dilige-
re necessariò
creaturas
possibiles.*

Cæterum; probant hîc Aliqui, Deum non posse necessariò diligere creaturas possibiles; quia (sicut in fine præcedentis Conclus. diximus) actus divinæ voluntatis involveret habitudinem transcendentalem, & essentialem ad creaturas, sumeretque adeò speciem, sive rationem ab illis; sicut actus creatæ voluntatis à suo objecto, quod necessariò & essentialiter respicit, speciem rationemque desumit: actum autem divinæ voluntatis, ut & quæcumque aliam perfectionem divinam, ab ente creato & limitato speciem rationemve desumere, absurdum est. Quomodo enim ens limitatum illimitati entis mensura esse potest, cum mensura mensurato perfectior esse debeat? Sic illi.

184.
*An volun-
tas Dei di-
cat habitu-
dinem trans-
cendentem
ad crea-
turam possi-
bilem.
Smifing.*

Sed non convincent intentum. Nam bene respondet Smif. sup. fortè esse quæstionem de nomine, quid quisque habitudinem transcendentalem appellare velit; inquire, an intellectus, voluntas, & potentia Dei transcendentem habitudine respiciant creaturam in esse essentiali: quia si quis quæcumque intrinsecam proportionem alicujus ad alterum velit habitudinem transcendentalem nominare; haud dubiè dicet, ista attributa habitudine transcendentem respicere creaturas in esse essentiali; quia negari non potest de intellectu, & potentia (idem autem ostendimus esse de voluntate) quòd habeant proportionem cum creaturis in esse essentiali. Et ita loqui debent, si velint ad rem loqui, qui relationes transcendentales solà ratione distinguunt ab absoluta ratione subiecti: quia seculà fictione intellectûs, non erunt nisi absolutæ rerum proportionem essentiali.

185.
*In doctrina
Scoti non
dicitur, juxta
Smifing.*

At verò in doctrina Scoti, qui habitudines transcendentales ex natura rei formaliter distinguit ab absoluto, dicendum est, in Deo non esse aliquam habitudinem transcendentalem

ad creaturas: cuius fundamentum non aliud est, quàm illud generale, quo probatur, Deum nullà relatione reali posse referri ad creaturam; siquidem in via Scoti relatio transcendens realis est; imò & in doctrina quorundam Aliorum, qui dicunt, eam solà ratione distingui ab absoluto; dicunt enim, nihilominus realem relationem esse, quàmvis hoc vix intelligi possit.

Hoc ergo supposito, quòd relatio transcendens realis sit, idèdque in Deo ad creaturam nulla sit; Respondeo; terminationem divinæ voluntatis ad creaturam non esse relationem transcendentem; sed latius patere illam, quàm istam. Nec est simile de actu creatæ voluntatis, qui ob suam limitatam perfectionem capax est relationis realis ad aliud extra se; non ita voluntas divina. Hucusque Theod. pro sua sententia, quæ, ut sup. audivimus, docet, Deum diligere creaturas possibiles necessariò; estque Aliorum plurimorum opinio non improbabilis. Elegimus autem oppositam; quia videtur magis conformis Scoto, ut patet ex dictis.

Amat igitur Deus omnes creaturas tam possibiles, quàm actuales, idèdque liberè, non solùm essentialiter; de quo non potest esse quæstio, ex hypothesi, quòd seipsum diligit liberè essentialiter; sed etiam contingenter seu libertate indifferentiæ, quàmvis id magis certum sit de creaturis in esse existentibus, quàm in esse essentialibus. Si autem à me quæritur, an amet unam creaturam propter aliam? Respondeo citius:

CONCLUSIO VII.

Deus vult unam creaturam esse propter aliam, vel quia vult aliam.

Difficultas non est de volitione, quæ Deus vult aliquid intrinsecum sui, propter aliud sui-met: nam sicut nihil est in Deo realiter distinctum à seipso; ita nihil est in Deo, quod propriè sit causa finalis respectu actûs Dei; cum causa, & effectus realiter distingui debeant. Et propter eandem rationem neque actus Dei est causa efficiens, nec formalis, nec materialis; nam omnis effectus realiter distinguitur à sua causa. Et aliàs Deus esset passivus, juxta illud Scoti 1. diff. 41. §. Potest aliter dici, num. 11. ibi: Reprobationis tamen est aliqua causa, non quidem propter quam Deus effectivè reprobatur, in quantum est actio à Deo: quia tunc Deus esset passivus. Hoc autem est absurdum. Neque audiendus Sonc. in 5. Metaphys. Scot. quæst. 2. a. 3. ubi, Deum verè esse causam finalem sui ipsius, cum verè se amet, & cum causa finalis non sit propriè causa, sed metaphoricè, nullum judicat inconveniens.

Sed fallitur (inquit Felix de voluntate Dei cap. 3. diff. 5. num. 1.) nam quàmvis motio

finis sit metaphorica, est tamen vera causa, & effectus, quod nequit Deo convenire; nam quāvis sit finis omnium rerum ad extrā, & simplicius; non tamen sui vera causa, sed ratio formalis. Sic ille. Vide quā de hoc puncto diximus Conclus. 1. Difficultas ergo est; utrum Deus possit velle unum objectum creatum propter aliud, ita ut unum sit finis & motivum, quare Deus velit aliud; vel, ut Alii loquuntur; utrum Deus amet creaturas propter seipsum, an propter ipsarum bonitatem. Uno verbo: an bonitas creata sit objectum motivum voluntatis divinae.

Equidem Conclusionē 1. Difficile probavimus, verum esse, quod ait Script. Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Item Disp. præced. Secl. 3. Diximus, solum ens increatum esse objectum motivum intellectus divini, cum aliās intellectus Dei vilesceret, utpote dependens ab aliquo ente creato & finito. Quidni propter eandem rationem meritò hic dicere possim, solam bonitatem divinam, seu ens increatum fore objectum motivum voluntatis divinae? Alioqui voluntas divina vilesceret, utpote dependens ab aliquo ente creato & finito.

Quod probè intelligens Doct. Subtil. 4. dist. 49. §. ad argumenta, num. 7. ad 4. sic ait: *Deus est causa finalis omnium, & hoc non aliter, nisi fiat propter quem amata sunt res, Deus enim omnia producit propter seipsum, & sic est finis immediatus omnium, ut propter se, & à se, non ad se, ut ad finem immediatum. Id est, solus Deus est objectum motivum; estò creatura aliquandò possit esse objectum in formale terminativum voluntatis divinae. Non enim (inquit ibidem) est Deus beatitudo formaliter, licet propter se det beatitudinem, quā diceret: Estò beatitudo non sit formale motivum voluntatis Dei dandi beatitudinem creaturæ beatificabili, sed sola bonitas divina; equidem beatitudo est terminus formalis ejusmodi voluntatis.*

Idem docet 3. dist. 32. num. 5. dicens: *Tertium patet; quia una est potentia, unum objectum primum, & habet unum actum infinitum adaequatum sibi. Nec oportet illum unum esse omnium, quasi omnia requirantur ad perfectionem hujus actus; sed solum ex perfectione hujus actus sequitur, quia perfectè tendit in primum terminum, quod etiam perfectè tendat in omnia, circa quæ primum terminus est totalis ratio agendi. Sola autem essentia divina potest esse prima ratio (id est, objectum motivum) tam intellectui divino, quā voluntati: quia si aliquid aliud esset prima ratio agendi, vilesceret illa potentia. Igitur essentia divina est prima ratio voluntati, ut omnia alia amantur tam increata, quā creata; nam in tantum hæc amantur, in quantum vel realiter identificantur essentia divina, vel sunt participatio ejus. Hinc falsæ sunt hæc propositiones in rigore sermonis: *Deus vult unam creaturam propter aliam, seu, quia vult aliam: quippè significant, creaturam esse objectum formale motivum volitionis Dei.**

Hoc autem falsum est in creaturis; etiam intelligendo de motivo secundario; quāvis id admitti posset in attributis divinis, sicut suo loco dictum fuit, probabile esse, quod attributa divina secundariò moveant intellectum divinum; secus res creatæ. Videantur ibi dicta.

Sed nonne & hæc propositiones falsæ sunt: *Deus vult unam creaturam esse propter aliam, vel, quia vult aliam?* Non puto, & ided eas tamquā veras in Conclus. proposui. Etenim per illas solum significatur, unam creaturam esse finem alterius; non verò esse finem volitionis Dei. Quod autem inconveniens, unam creaturam esse causam finalem alterius, dummodò ultimus finis omnium sit ipse Deus? Nul- lum omnino. Nam sicut creatura habet veram causam efficientem, aliquandò solum Deum, aliquandò etiam aliam creaturam, quidni similiter præter Deum aliquandò habeat pro vera causa finali aliam creaturam?

Hinc Felix sup. numero 10. quærens, an actionis Dei ad extrā detur propriè causa finalis? Respondet affirmativè; nam (inquit) talis actio est aliquid creatum, & sic habet veram causam efficientem, & etiam finalem; non tamen debemus dicere; Deus agens ad extrā habet causam finalem; nam Deus agens includit & volitionem intrinsecam, & hujus nulla est causa, & actionem exteriorē, & hujus datur causa tam efficiens, quā finalis. Agens verò creatum habet causam totius suæ actionis; nam tam interior, quā exterior est creata. Sic ille.

Et quāvis Omnes conveniant in nostra Conclus. tamen Aliqui putant, etiam priores propositiones, suprà propositas, esse veras, id est, existimant, aliquid creatum esse rationem Deo volendi aliud. Probant; quia dictæ propositiones inveniuntur apud Scripturam, Ss. Patres, & Scholasticos Joann. 1. cap. 17. *Propter eam me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* Et D. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 21. *Si querimus quis fecerit (lucem) Deus est. Si per quid fecerit, Dixit fiat, & facta est. Si quare fecerit, quia bona est.* Scholastici dicunt, Deum prædestinare ad gloriam propter merita, vel ex meritis.

Respondet Felix sup. num. 7. Ex D. Thom. 1. Contra Gentiles cap. 87. Quod his, & similibus locutionibus, solum significatur, unum objectum creatum esse alteri objecto causam, ut ordinem habeat ad Dei voluntatem; non verò, quod creatura sit motivum voluntatis Dei. Porro hunc ordinem inter objecta creata, significant propositiones in Conclus. positæ, & ided veræ sunt, etiam in rigore sermonis, sensus enim est: Deus vult, ut una creatura existat propter aliam, sive, ut una existat, quia alia existit; ergo existentia hujus non est causa motiva voluntatis divinae, sed est causa motiva seu ratio, quare alia creatura existat, sive existentia alterius creaturæ.

Sed contrā, dicit aliquis; Si est causa, ut alia

193.

Vult unam esse propter aliam.

Probatio.

194.

Actio Dei ad extrā habet propriam causam finalem, ex Felice.

195.

Aliquid creatum esse Deo rationem volendi aliud, probatur ex Script. & S. August.

196.

Responsio Felici ex D. Thoma.

197.

Objectio.

Solvitur.

198.

Instantia.

Nihil probat
contra nos.

199.

Aliud ar-
gum. Ad-
versario-
rum.Ad amorem
amicitiæ
sufficit, quod
res amata
sit objectum
formale ter-
minati-
vum.
Felix.

200.

An gloria
Dei sit finis
operum ejus
ad extra.Declaratur
ex Felice,
quod non
sed Deus
glorifican-
dus.

201.

Obiectio.

Solutio ex
cod. Auct.

creatura existat; ergo etiam est causa, quare Deus velit, aliam creaturam existere; ergo non est solum vera causa ex parte objecti, seu creaturæ; verum etiam volitionis divinæ, seu ex parte actus, qui necessarius est ad illam existentiam. Respondeo: ex parte actus exterioris, qui est aliquid creatum, concedo: ex parte actus intrinseci, seu essentialis volitionis divinæ, quæ est increata, nego. Patet ex ante dictis.

Instas: Creatura habet in se bonitatem; ergo est in se amabilis à Deo; sicut, quia in se habet veritatem, est in se ipsa cognoscibilis à Deo. Respondetur: hoc solum probare, creaturam in seipsa terminare volitionem Dei, sicut terminat cognitionem Dei; non autem esse formale motivum, à quo dependeat volitio Dei; sicut neque creatura est tale motivum cognitionis Dei.

Et consimiliter solvitur, quod Alii urgent: Deus amore amicitiae amat iustos; ergo amat illos propter ipsos, patet, nam secundum D. Aug. lib. 83. qq. q. 35. Nihil aliud est amare, quam propter seipsum rem aliquam appetere: ergo non solum propter Deum. Respondet Felix sup. Ad amorem amicitiae non est necessarium, quod sit propter rem amatam, ut objectum motivum; sufficit, ut sit tamquam in objectum formale terminativum; & sic se habet iustus, quando illum Deus amore amicitiae amat; nam objectum motivum, & finis ultimus est ipse Deus, ad quem omnes alii fines intermedii ordinantur; sicut quando quis diligit alterum ex charitate, amore amicitiae diligit, & tamen diligit ipsum propter Deum. Sic ille.

Mayorem difficultatem habet, quod sequitur: Eatenus Deus vult omnia propter seipsum, ut patet ex ante dictis Conclus. 1. Quatenus vult illa propter suam gloriam, id est, ut ex rebus creatis glorificetur; sed gloria, quam Deus intendit, est aliquid creatum, nempe cognitio, amor, & cultus Dei: ergo Deus non propter seipsum, sed propter aliquid creatum, vult creaturas. Respondet Felix sup. num. 8. quod finis Qui Dei non est quid creatum, nempe gloria; sed Deus glorificandus. Unde gloria est finis Quo, & medium voluntatis propter Deum, ut finem Qui, vel Cui, secundum diversos modos loquendi. Unde quando Paulus movet, ut omnia in Dei gloriam referamus, non gloriam creatam intelligit, ut finem; aliàs actus non esset perfectus; siquidem in creaturam refertur, sed Deum glorificandum. Sic ille. Vide Conclus. 1.

Si dixeris: Qui intendit finem, eligit medium ad eum consequendum; sed per creaturas Deus non seipsum consequitur; ergo vult creaturam, tamquam medium ad seipsum, tamquam finem, consequendum. Respondet Felix sup. Non omnis, qui intendit finem, & eligit medium, vult consequi finem à se; sufficit, quod ab alio consequatur; v.g. Paulus, charitate motus, optat Petro beatitudinem ut

finem, qui consequendus est à Petro; & non à Paulo; ita Deus est finis creaturarum non consequendus ab ipso Deo per creaturas, sed ab ipsis creaturis.

Dicitur, Deum omnia propter se operari, secundum S. Thom. 1. part. quæst. 44. a. 4. Et nostrum Lyranum, ut omnia ad ipsum Deum, ut ad finem ipsorum ordinentur, & suum ultimum finem quærent. Ita Franciscus. Hæc sunt verba D. Thom. loco cit. in corp. Primo agentis, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis; sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas. Et unaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis & bonitatis divinæ. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium. Ita Doct. Angel.

Sed quæro ego: quid implicat, unam rem ex duplici motivo, saltem partiali, amari? At Et nonne perfectio Dei est, ut simul amet creaturam ob suam bonitatem infinitam, & propter bonitatem ipsius creaturæ? Videri posset alicui, quod sic. Nam, quod in Deo sunt virtutes morales, est perfectio; sed nequeque esse, quin detur objectum specificativum talium virtutum; quæ objecta sunt aliquid creatum, nempe propria honestas uniuscujusque virtutis: ergo Deus non solum habet pro objecto motivo suam bonitatem, sed etiam bonitates creatas, quæ sunt objecta virtutum.

Deinde: perfectio Dei est, quod actus illius sit perfectior, qui excoGITARI possit; sed perfectior esset, saltem extensive, si Deus non solum propter suam bonitatem; sed etiam propter bonitatem misericordiae v.g. Petri miseretur: sicut in nobis esset actus perfectior, sublevare miseriam Petri, non solum ex motivo charitatis, sed etiam ex motivo misericordiae; ergo hoc Deo tribuendum est. Denique; sicut est perfectio Dei, ad minus extensive, non solum cognoscere se in seipso, sed etiam cognoscere se in creatura, ut dixi Disp. præced. Sect. 3. Conclus. 4. & sicut est perfectio, non solum in seipso cognoscere creaturas; sed etiam in seipsis, ut ibidem dictum est Sect. 4. Conclus. 6. ita erit perfectio Dei, amare creaturas, non solum ob bonitatem Dei; sed etiam ob propriam bonitatem.

Respondet Felix sup. num. 9. hoc esse impossibile; nam vilesceret voluntas Dei; siquidem moveretur à creaturis, & ab illis dependeret; sine qua tamen motione, & dependentia ponimus virtutes morales in Deo, & distinctas penes objecta formalia talium virtutum, non Deum moventia, sed primò liberè terminantia volitionem Dei; talia enim objecta formalia virtutum moralium cognoscuntur à Deo in divina essentia, & ita cognita movent Dei voluntatem, ut præmier merita Petri ex virtute justitiæ, & miseretur Joannis ex virtute misericordiae; & ita volitio Dei movetur à sua essentia, vel bonitate, & amat suam

suam essentiam necessariò, & Petrum liberè; & sic prima terminatio libera est circa Petrum, quæ sufficit, ut constituat actum iustitiæ, vel misericordiæ circa Petrum. Exemplum de scientia non convincit; nam numquam creatura movet, ut est in se; sed ut est in essentia divina, in se verò terminat, quod non est inconveniens. Hactenus Franciscus.

Sed quæro ego: Creatura in se primò terminat cognitionem Dei? Nonne docet Tract. de Scientia Dei cap. 3. diff. 1. num. 3. objectum primarium scientiæ Dei, tam motivum, quàm terminativum, esse essentiam divinam? Quomodo ergo hic benè dicis, creaturam primò terminare volitionem Dei? Si respondeas: duplicem esse terminationem, unam liberam, & alteram necessariam; & huius primum objectum terminativum esse essentiam, illius autem posse esse creaturam. Contrà; etiam duplex est cognitio divina, una necessaria, altera libera; & dicam ego illius quidem divinam essentiam esse objectum primum terminativum; huius autem posse esse creaturam. Placet quod dico? Si non, expectabo disparitatem.

Ceterum benè notat præfatus Auctor sup. num. 5. dissensionem hic inter Auctores potius esse de nomine, quàm de re. Quamvis ipse num. 6. Nobiscum doceat, finem & motivum divinæ volitionis non esse aliquid creatum; sed solum divinam essentiam, vel ejus bonitatem. Res certa apud Omnes est, volitionem divinam realiter identificari essentia divinæ; & idè sicut essentia divina nullam habet causam efficientem, aut finalem, ita nec volitio divina. Causam, inquam, propriè dictam, postulans utique realem distinctionem effectus cum dependentia à se. Quæ enim hæc causa esset? Deus, secundum Omnes, est independens à creatura, & omnia, quæ in Deo sunt, unum sunt realiter.

Etiam per se notum videtur; posse dari ex parte objecti creati rationem aliquam per se motivam alicujus decreti liberi divinæ voluntatis: quod licet nihil addat reale ipsi actui necessario divinæ voluntatis, juxta veriorẽ sententiam suo loco explicandam; equidem per illud verè Deus vult liberè tale objectum creatum, & ut id velit, licet prima ratio sit bonitas ejus, ex parte tamen objecti potest interdum considerate priorem aliquam rationem, ob quam id velit: hoc enim nullam imperfectionem involvit, nec dependentiam aut causalitatem veram alicujus rei, quæ in Deo fit; & alloqui est necessarium, ut aliqua conditio, vel actio creaturæ possit esse ratio vera alterius effectus divini, non solum per modum finis, ejus gratia aliquid fit; sed etiam per modum mediæ, aut alterius principii ex se postulantis talem effectum. Hæc re habitâ, nolo amplius immorari quæstioni de nomine; sed progredior, & quæro; an etiam non entia pertineant ad objectum secundarium divinæ voluntatis? Responso patebit ex dicendis Conclus. sequenti, quæ talis est

CONCLUSIO VIII.

Deus actu positivo attingit negationes existentia rerum possibile, etiam quæ numquam evenient.

Non entia, id est, entia rationis, negationes, & privationes, sunt objectum secundarium divinæ voluntatis; nam, ut dictum fuit Conclus. 1. idem est objectum voluntatis, quod intellectus; sed Deus cognoscit non entia, ut patet ex Sect. ult. Disp. præced. Conclus. 1. 2. & 3. ergo etiam vult non entia. Sed quomodo vult? Respondeo: simili modo, quo ea intelligit. Sicut ergo intelligit negationes, & privationes, in forma opposita, juxta ea, quæ diximus loco cit. Conclus. 2. consimiliter ipse vult ratione formæ positivæ; v. g. vult negationem aut privationem caloris, quia vult calorem non esse in subiecto, & simpliciter vult, illum non esse; hæc quippe volitio nullam involvit imperfectionem: quin immò ad perfectionem primæ causæ spectat, ut in ente creato nulla inveniat negatio, vel privatio independentem à voluntate (complacente aut permittente) ejusdem causæ primæ.

Hinc ergo ad particularia descendendo, assero cum Smiling Tract. 3. Disp. 3. numero 50. Velle Deum negationes naturales, & mala naturalia, etiam voluntate complacentiæ, & idem est de malis poenæ; licet neutra velit per se; sed utraque solum per accedens ratione boni annexi. Prior pars patet ex Scriptura, Psalm. 73. v. 16. Tuus est dies, & tua est nox. Psalm. 103. v. 20. Posuit tenebras, & facta est nox. Matth. 10. v. 29. Nonne duo passeret asse veneunt, & unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Amos 3. v. 6. Si erit malum (poenæ) in civitate, quod Dominus non fecerit. Ubi, cum dicitur Deum posuisse illas privationes, & fecisse illud malum, indicatur voluntas complacentiæ.

Si objicias, quod dicitur Sap. 2. v. 24. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; ergo Deus non fecit mortem. Respondet Smiling sup. intelligitur per se ac primariò non fecisse, ut habet posterior assertionis pars.

Ratio verò prioris partis est; quod in hujusmodi voluntate complacentiæ nulla appareat imperfectio, sed perfectio potius pura; cum hæc mala possint esse per se conditiones, seu occasiones bonorum. Nam privatio physica est conditio requisita ad generationem substantialem; non enim nisi priori formâ substantiali expulsa alia induci in materiam potest; quo pacto ubius corruptio alterius generatio dici potest. Et idem suo modo videri

209.

Non entia

sunt ob-

jectum secun-

darium di-

vinæ vo-

luntatis.

Quomodo

Deus ea

velit.

210.

Deus vult

negationes

naturalia,

& mala

naturalia,

ac poenas

ratione boni

annexi.

Probatur ex

Script.

211.

Obiecto ex

Script. sol-

vitur.

212.

Probatio ex

ratione.

Mala natu-

ralia sunt

occasiones

bonorum.